



**R. P. Francisci De Oviedo Madritani, Societatis Iesv,
Theologiæ Professoris, Cursus Philosophicus**

Oviedo, Francisco de

Lvgdvni, M.DC.LI.

VII. An duplex causa possit in eundem effectum totaliter influere.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95503](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95503)

relatus cum Scot. in 2. dist. 20. q. 2. quam sententiam maior pars Scholasticorum defendit.

4 Dico primò. Possibiles sunt duæ virtutes actiue vniuersæ eiusdem speciei quarum neutra sub propriæ actiuitatis sphaera habeat aliquem effectum, ex his, quos potest alia producere. Sit ratio: virtutes hæ non repugnant ex aliquo capite: ergo possunt à Deo produci. Assigna implicationem, vel totum concede. Confirmatur: Non repugnat duplex ignis productiue caloris immediatè nullà actione interiecta: sed nullus calor ita ab hoc igne productus posset ab alio dependere, quia dependeret per se ipsum ab hoc sicuti modò dependet actio interiecta: ergo possibilis est duplex causa vniuersa, quarum neutra possit producere effectum, quem alia producere valet.

5 Dico secundò. Possibilis est duplex actiua virtus, quarum vtraque eisdem numero effectus producere possit, ita vt nulla illarum valeat effectum edere, ad quem producendum altera per modum actus primi virtutem non habeat. Probanda est hæ conclusio ex non repugnantia harum causarum, nulla enim poterit assignari, ex qua liceat asserere virtutes has inter se repugnare. Secundò ex parte effectuum repugnare non possunt tales virtutes, quia effectus non dependent immediatè per se ipsos, sed mediis actionibus: ergo ex se indifferentes sunt, vt dependant ab hac vel illa causa. Neque repugnantia ex parte principiorum, seu virtutum potest inueniri, quia nulla exco-gitari potest in eo quod multipliciter distinctæ numero virtutes in actu primo, quarum qualibet adequatè possit effectum producere, in se enim qualibet sine respectu ad aliam repugnantiam non habet, aliàs vtraque repugnaret, ex respectu aliquo inter vtramque intercedente repugnàtia oriri nequit, quia cum hæ virtutes subiectum commune non habeant, oppositionem contrariam habere nequeunt, neque alia potest inter has virtutes probabiliter excogitari: Confirmatur: non repugnat hunc effectum, qui potest adequatè à causa prima produci, posse à causa secunda eodem modo produci: ergo non repugnat hunc effectum, qui potest, & de facto produci ab hac causa, potuisse antecederet produci ab alia: id de aliquo effectum concedis, quod sine fundamento negabis, posse contingere respectu omnium, dummodo hæc virtus aliam virtutem intra suæ actionis sphaeram tanquam effectum non contineat perspicuum est.

6 Dico tertio. Ex potentiis actiuis de facto existentibus non qualibet habet sub se seriem effectuum adequatè distinctam ab illa, intra quam alia suam potest extendere actionem, neque qualibet potest producere omnes effectus, quos alia producere valet. Hæc conclusio nulla potest efficaci ratione ostendi, est enim de facto, quod nullo certo fundamento nobis constat: probabiliter tamen ita suadet pars, quæ asserit non quamlibet causam habere sub se omnes effectus, quos habet alia. Probatur ex D. Th. 1. p. q. 45. art. 5. ad 1. vbi docet causam vniuersam non posse habere pro obiecto adequato totam speciem, aliàs se ipsam tanquam obiectum respiceret, & posset se ipsam producere, quam rationem expendit Soar. suprà, & nos adducemus Controu. 9. puncto 10. ad probandum idem non posse esse causam sui ipsius. Confirmatur, & declaratur. Experiencia compertum est hunc ignem producere illum, v.g. ignem A ignem B: ergo ignis B continetur in virtute ignis A: sed idem ignis B non continetur intra propriam virtutem actiuam: ergo aliquis ignis potest produci ab igne A, qui produci non possit ab igne B.

7 Partem aliam asserentem plures effectus, qui possunt ab hac causa produci, posse etiam produci ab aliis ratione Theologica non contemnenda probo: Ex Scriptura, & historiis Ecclesiasticis constat multos homines datos esse suis parentibus ex meritis Christi, quos non haberent sine Christo cuius meritis eorum sterilitas fuit fecunda, vt patet in Anna matre Samuëlis, 1. Reg. 1. Sarà matre Isaac Gen. 18. Elisabeth matre Baptistæ, Luca 1. & in Matre S. Bonauenturæ, & aliis plurimis, quod confirmat totius Ecclesiæ consensus, fideles enim preces fundunt, vt ex meritis Christi, ex his parentibus filij procreentur: ergo ex meritis Christi hi homines ex his parentibus nati sunt: sed aliàs erant nascituri independentè à meritis Christi: ergo poterant ab aliis parentibus nasci. Consequentia est legitima, quia si independentè à meritis Christi erant nascituri, & non poterant ex aliis parentibus nasci, independentè à meritis Christi, ex his nascerentur, & merita

Christi in hoc negotio nullam possent vtilitatem habere. Maior Scripturæ testimoniis firmiter est stabilita. Sola Minor, seu secundum Antecedens indiget probatione: vide licet illos homines independentè à meritis Christi esse nascituros, quod confirmat communis Theologorum opinio, quæ asserit Deum non meruisse existentiam hominum, sed redemptionem illorum, & posset multis rationibus probari idem ex decretorum ordine, quibus superfedo, quia nimis Theologica sunt, tantum in medium adduco celebre Augustini testimonium Epist. 105. *et enim (Christus non pro nullis, hoc est non pro non existentibus,) vt homines conderentur, sed pro impiis mortuis est, vt iustificarentur.* Infero ergo Petrum procreatum à Ioanne potuisse à Francisco procreari, ac proinde posse effectum ab hac causa dependentem diuisum ab alia dependere.

8 Obiic. primo. Determinatio productionis huius indiuidui prouenit à causa producente: ergo causa produciens non potest esse indifferens ad producendos plures effectus, quos sub se habeat. Respondeo certum esse causam quamlibet esse indifferentem ad producendos plures effectus, quos virtualiter continet, ex quibus determinatur ad producendum hunc potius, quam illum cuius determinationis fundamentum inquirendum est, siue possit producere effectus, quos alia, siue non possit, ac proinde argumentum prædictum contra nostram sententiam nihil probat, quia principium determinans causam ad hunc numero effectum, inter plures, quos potest illa producere valebit determinare eandem causam inter effectus quos eadem, & alia causa pariter producere possunt.

9 Obiic. secundò. Effectus, qui modò dependet ab hac causa, potuit ab illa dependere: ergo non dependet essentialiter ab hac. In omnium sententia hoc argumentum locum inueniet, quia certum est effectum dependentem ab hac causa potuisse dependere à Deo. Respondeo effectum potentem ab hac, & illa causa diuisim dependere, à nulla determinata essentialiter dependere, dependere tamen per se, hoc est, tanquam à vera causa, non per accidens influente ab illa à qua recipit esse, quia ita dependet ab illa, vt non posset subsistere ablata illa causa, si alia loco illius non substitueretur, quod est dependere per se.

Obiic. quidam contra id, quod dixi effectum moraliter dependere à causa remota, mediâ causâ proximâ, quæ actu non conseruatur à primo producente, me id sine causa dixisse, illudque probare non posse, & per accidens omnino esse, vt me Deus modò conseruet, fuisse prius productum, à talibus hominibus vsque ad Adamum. Respondeo: neminem posse negare me Deum modò conseruare, quia prius fui productus, & ad hoc, quod fuerim productus à meo parente per se conduxisse existentiam mei parentis, & ad hanc per se conduxisse actionem, qua meus parens fuit productus à meo ayo, & sic in aliis progenitoribus. Nam etsi meus parens eodem modo produceret me, etsi immediatè ipse à Deo fuisset productus, hoc probat causas remotas non esse causas essentialiter requisitas, non verò suadet non esse causas per se, in eo oppositum manifestè probatur, si enim meus auus, vel alius loco illius meum patrem non produxisset, neque meus Pater, neque ego ab eo fuisset productus.

Obiic. insuper me contra omnem vsum, & rationem transferre causalitatem moralem ad esse physicum, quod est in causis omni cognitione, & ratione, & moralitate carentibus. Respondeo causam moralem debere causare media aliâ ratione prædictâ, quia causat mouendi voluntatem alius, id verò, quod voluntatem mouet potest esse quid physicum, & ratione destitutum, vt per se notum est, ex eo enim quod videt Deus causas naturales applicatas ad agendum, suoque indigere concursu, vt agant, mouetur ad concurrendum cum illis, & quando videt duo agentia contraria intendentia producere effectus inter se in-compossibiles, mouetur ad concurrendum cum hoc potius, quam cum illo, quia est fortius illo. Hæc sunt omnibus nota, videat ista iuxta quorum vsum, & qua ratione dixerit esse contra omnem vsum & rationem.

PUNCTUM VII.

An duplex causa possit in eundem effectum totaliter influere.

Quid dicatur de dependentia eiusdem effectus à duplici causa diuisim sumptâ huius difficultatis disputa-tio

IO
Prad. 2. part.
Controu. 1.
art. 4. n. 77.

II

tatio integra perseverat, cum enim certum sit eundem effectum posse diuim à Deo, & à creatura adequatè dependere, disputandum superest, an possit simul à causa creata per influxum totalem, & per aliam adequatè distinctum à causa increata dependere, etiam si adhuc diuim non possit à duplici causa creata idem effectus dependere. Ad id respectu eiusdem causae creatae posse hanc exagitari questionem; eadem enim causa potest diuim per diuersas actiones adequatas eundem producere effectum, & de illa insurgit difficultas, an simul possit diuinā intercedente potentia per duas illas actiones, quae diuim possunt ad eundem effectum terminari, illum producere, ita ut qualibet ablata ex vi alterius superficis integer effectus perseveret. Neque aliud est inquirere an idem effectus possit dependere à duplici causa adequata, nisi inquirere an possit dependere per duplicem influxum adequatum, certum enim est naturaliter posse procedere per vnicum influxum à duplici principio, quorum quodlibet virtutem habeat adequatam actionem ad illum effectum adequatè ponendum extra causas.

Eadem ratione, quā Puncto praecedenti causas intrinsecas à quaestione relegavi, illas respectu compositi ad hanc difficultatem non voco; vnicum enim compositum vnicā formā circumscribitur; cui si aliam adiungas compositum aliud saltem inadeguatè distinctum illa constituit.

De causa finali insurgit difficultas respectu intentionis efficaciae, electionis mediorum, & aliarum actionum voluntatis, & respectu operationum aliarum potentiarum, levis tamen de utriusque. Affirmo nullum actum internum voluntatis posse dependere à duplici fine adequato. Ratio est obuia: Actus internus voluntatis intrinsecus, & per suā entitatem respicit suum obiectum, quod se tenet ex parte finis, & per se ipsum ab alio dependet, ita ut non possit non dependere ab illo; à quo semel dependet: ergo actus, qui dependet à duplici obiecto, ita à quolibet illorum dependet ut non possit non dependere: ergo à neutro dependet adequatè. Patet consequentia, eo ipso quod non possit non ab utroque dependere, neutrum seorsim sumptum sufficiens est, ut alio ablato actus perseveret; ergo neutrum influit adequatè, influere enim hanc causam adequatè in hunc effectum dicit, ut ex vi illius omni alia ablata effectus subsistere possit.

De actibus externis aliarum potentiarum longè aliter dicendum est, certum enim puto posse quolibet actionem externam à duplici causa finali dependere mediā duplici intentione efficaci duorum finium, quod sic probō. In primis est certum posse reperiri in voluntate duplicem actum quemlibet ex se sufficientem ad determinandam potentiam externam ad aliquam actionem, v. g. duplicem volitionem deambulandi ex duplici fine, quarum quaelibet illarum seorsim sumpta efficaciter imperaret deambulationem, in quo casu probō in actu secundo deambulationem procedere adequatè à qualibet illarum volitionum simul existentium. Illa deambulatione, ita procederet ut qualibet illarum intentionum ablata, alia superflite, eadem permaneret sine alio nouo influxu procedente ab hac intentione permanente; ergo intentio permanens antea adequatè influebat in deambulationem: Consequentia est legitima, quia modo adequatè dependet deambulatione ab intentione, quae vnicè existit: & non per dependentiam, quam antea non haberet: ergo sicuti modò dependet adequatè, ita dependebat antea; siquidem eandem dependentiā habebat. Antecedens duplicem partem continet, utramque seorsim probō. Pars vna dicit ablata vna intentione, alia superflite deambulationem permanens, quod perspicuum est, quia cum supponamus illam intentionem ex se in actu primo habere virtutem imperandi adequatè deambulationem, eo ipso quod existat in subiecto suam virtutem exercet, posita enim volitione in actu primo efficaciter imperante actionem externam, non superest iam libertas ex parte voluntatis ne ab hac intentione, quae iam supponitur procedat deambulatione. Alterum in Antecedenti contentum est, volitionem illam non aliter influxuram quā antea influebat, quod sic ostendo: Influxus volitionis in actionem externam non est actio aliqua physica intermedia mediā quā hanc ab illa dependeat, sed tantum coexistentia virtutis potentis imperare cum actione externa imperata, quae per sympathiam resultat posita volitione: sed coexistentia est eadem: ergo influxus est idem.

Influxus volitionis in actionem externam consistere in coexistentia volitionis potentis influere, & ipsius actionis externae, probō latè in Controv. 8. de Anima, ubi latè de imperio voluntatis disputo: coexistentiam esse eandem notum est, quia coexistentia non distinguitur ab existentia extremorum: sed extrema existentia sunt eadem: ergo coexistentia est eadem.

De causa materiali, & efficienti eadem est omnino ratio, cum idem sit utriusque influxus, & idem est rem produci per duplicem actionem eductiuam adequatam, accipi per duplicem passionem, sic tota iam difficultas vertitur ad principium efficiens, seu ad causalitatem actionem, an videlicet duplex principium actionum possit simul adequatè influere in effectum, vel quod idem est an duplex causalitas actiua, seu duplex actio adequata possit simul ad eundem effectum terminari. Quidquid enim de causalitate actiua dixerimus, de passiva eodem modo intelligendum est.

Negat Pater Vasquez tom. 1. part. 3. disp. 29. cap. 4. affirmat Pater Soarez in Metaph. disput. 26. sect. 5. n. 13. uterque suos habet affectus. Ego in hac re Soarium sequor, cuius sententiam iam probō. Nulla est repugnantia in eo, quod idem terminus duplicem causalitatem actionum simul terminet; ergo poterit illam terminare diuinā omnipotentia intercedente; antecedens mihi firmum erit, donec aliquis repugnantiam assignet, quam illico solvam, ut illud inconsummum conferuem, sed adhuc illud suadeo. Repugnantia ex parte virtutis actiuae praecise sumptae nulla existit, idem enim effectus simul continetur sub pluribus principijs actiuis, quod saltem respectu creati, & increati negari non potest, neque ex eo quod principium suam virtutem exerceat alterius actionum virtutem intrinsecè euacuat: respectu actionum si aliqua est impossibilitas, est formalis similis impossibilitati duarum formarum in eodem subiecto, quae potest vinci à Deo cui integrum est, quantumvis haec actio seu haec forma exigat negationem aliis cum qua est impossibilis, illam contra talem exigentiam conservare: repugnantia ex parte termini nulla est, quia terminus nullam virtutem exercet circa actionem, neque ex parte illius magis requiritur ad terminandum simul actiones, quā ad easdem successiue terminandas, quam rationem de termino vniionis latius expendam Controv. 8. Puncto 1. ergo ex nullo capite aliqua potest esse repugnantia, in eo quod effectus supernaturaliter dependeat à principio effectiui per duplicem causalitatem adequatam.

Puto hanc conclusionem iuxta propria principia adeo efficaciter probasse, ut illius ratio difficilem reddat tradendam aliam propter quam idem effectus non possit à duplici causa adequata etiam naturaliter dependere; non etiā possumus recurrere ad incapacitatem subiecti actionis, neque ad incapacitatem termini, si enim ex hoc capite naturaliter non posset effectus duplicem causalitatem terminare, etiam supernaturaliter repugnet, ut efficaciter probō Controv. 8. Punct. 1. Neque impossibilitas formalis actionum sufficiens videtur ratio, quia impossibilitas formalis sumitur in ordine ad subiectum, seu actio creatiua nullum habet subiectum: ergo actio creatiua cum nulla alia entitate potest habere impossibilitatem formalem: ergo ratione huius impossibilitatis nullum est impedimentum, ne possit idem effectus terminare duplicem actionem creatiuam, vel vnam creatiuam, & aliam eductiuam. Dices terminum, qui potest terminare actionem generatiuam, non posse naturaliter actionem creatiuam terminare, esto non creetur naturaliter supposita creatione, siue naturali, siue supernaturali quoad modum, inquit an generatio naturaliter possit terminari ad effectum creatum, quem posset respicere, si creatio non terminaretur ad illum, & an harum actionum coexistentia specialem dicat repugnantiam naturalem distinctam ab illa, quam diceret quaelibet illarum seorsim sumpta. Secundò in duplici ratione creatiua clariùs vrget nostra difficultas, quaelibet enim illarum naturaliter potest eundem attingere terminum. Vltimo adhuc respectu duplicis actionis generatiuae respicientis idem subiectum argumentum conficio. Actiones non repugnant nisi ratione terminorum, ita actio productiua dulcedinis, & actio productiua albedinis non repugnant, & repugnant actio productiua caloris, & productiua frigiditatis, quia non repugnant albedo, & dulcedo, & repugnant frigiditas, & calor: sed duplex

duplex actio terminata ad eundem effectum non repugnant in subiecto ratione termini cum eundem vtraque respiceret: ergo ex nullo capite repugnaret.

8 Responderi Arriaga disp. 7. sect. 10. non posse eundem effectum terminare duplicem actionem, quia earum altera esset superflua, natura autem nihil superfluum admittit. Non acquiescit animus, quia vtraque actio secundum se est possibilis: ergo si agens sit in actu primo ad illam, & passum in potentia principium actionum suam exercebit actionem, etiam si per accidens hic & nunc necessaria non sit; agenti enim naturali, & actioni dimanatae omnino extrinseca est existentia aliud actionis, ac proinde eodem modo se habent principium, & actio illius, siue alia existat, siue non existat, nisi dicat Arriaga agens naturale moveri, ne actionem eliciat, & ipsi actioni notum fieri ne in medium proficiat, quia modò non est necessaria, sed vt expectet, quovis alia non existat, & terminus illa indigeat.

9 Nihilominus dicendum existimo terminum naturaliter produci non posse per duplicem actionem. De duplici actione generatiua respectu eiusdem subiecti facile potest reddi ratio petita ex impossibilitate actionum, quæ illis competere potest ratione sui, est ratione terminorum impossibilitatem non illam participant, licet enim bene inferatur, termini non possunt esse in eodem subiecto: ergo neque actiones, non ideo licet inferri actiones per se ipsas formaliter aliam impossibilitatem non habere ratione cuius, si per impossibile separarentur à terminis adhuc inter se mutua esset formalis oppositio. Hanc ergo habent duæ actiones terminatae ad eundem terminum, etiam si nulla sit in vtriusque termino oppositio, non enim rectè inferitur, albedo potest esse in subiecto: ergo in eodem poterunt naturaliter coexistere plures actiones ad eandem albedinem terminatae. Neque potest esse multiplex actio respectu eiusdem termini existens quilibet in subiecto distincto, quia cum distincta subiecta distinctum occupent locum, si terminus per actiones existentes in distinctis subiectis poneretur, in eisdem subiectis constitueretur naturaliter, & existeret naturaliter in duplici loco, quod coningere non potest. Inquires: quid, si subiecta naturaliter, vel supernaturaliter idem spatium occuparent? Respondeo in hoc casu assignandam esse repugnantiam in his duabus generationibus, quam in duabus creationibus iam assigno.

10 Affirmo nullum terminum posse terminare duplicem actionem, siue vtramque generatiuam, siue creatiuam, siue vnam generatiuam, & creatiuam alteram propter eandem rationem, propter quam non potest effectus iam corruptus iterum produci, quia sicut numquam determinatur principium ad actionem terminatam ad effectum, qui semel fuit productus, & iam est corruptus, sed semper determinatur circa novum effectum, ita non determinatur circa effectum, qui iam per aliam actionem, siue ab eodem, siue ab alio principio procedentem existit. Hæc ratio generalis est pro omnibus effectibus quam etiam suo modo accommoda pro effectibus creatis, licet enim Deus liberè determinet omnes causas ad productionem effectuum secundum rationem indiuiduam, numquam tamè aliquam determinat ad productionem effectus, iam corrupti, sed ad novum effectum, & potiori ratione, neque ad productionem effectus iam producti, & existentis, neque se ipsum determinat ad duplicem creationem respectu eiusdè termini, quia cognoscit vnam esse sufficientem, & alteram, esse superflua, hæc enim ratio, quam contra Arriagam impugnauimus respectu agentis liberi circa vltimas effectuum indiuiduationes optima est.

11 Ex hoc capite, si Deus crearet Angelum per duplicem creationem, etiam si illa simulatas creationis non esset iuxta legem ordinariam, tamen nihil importaret contra exigentiam actionum, neque contra termini exigentiam, quia reproductio eiusdè effectus tantum repugnat ex lege Dei non verò ex aliqua ratione physica; quapropter si alia repugnantia non inueniatur in similitudine harum actionum, non posse eundem effectum terminare duplicem actionem creatiuam, vel vnam actiuam, vel aliam generatiuam, tantum erit ex lege Dei, non verò ex aliqua ratione physica. Multum in hanc sententiam propendebam, verum tamen, quia nimis singularis videtur, est non in re magni momenti, aliud caput assigno, ex quo desumatur impossibilitas actionum. Dicit potest actiones ipsas est subiecto carentes, impossibilitatem habere, ex eo præcisè,

Franc. Quiedo, de Philosoph. Tom. I.

quod in eundem terminum feruntur, ratione cuius quilibet exigit alterius non esse, neque cum altera naturaliter componi potest, quæ oppositio differt ab illa, quæ est inter alias formas, quia oppositio inter formas est in ordine ad subiectum commune, oppositio verò inter actiones creatiuas, vel inter generatiuam, & creatiuam non est in ordine ad subiectum commune, sed in ordine ad terminum communem. An verò hæc oppositio propriè sit dicenda formalis, vel tantum impropiè, quia non est inter formas eiusdem subiecti, quæstio est tantum de nomine. Aliam rationem adducit Soar. quam tribuit Caietano, respectu agentium creatorum, videlicet non posse duo eodem modo applicari ad productionem eiusdem effectus, illam vide apud eundem loco citato, non enim vacat omnia examinare. Vnum te moneo, rationem hanc adæquatam non esse ad præsentem difficultatem, non enim ex illa poteris respondere, cur idem effectus non dependeat ab eodem numero principio per duplicem actionem totalem.

Obiic. contra conclusionem, qua diximus posse supernaturaliter eundem effectum procedere à duplici principio adæquato, seu per duplicem actionem adæquatam. Eo ipso quod effectus recipiat esse ab hoc principio, habet existentiam: ergo non habet iam quid recipiat ab alio, neque vllum potest præstare effectum formalem alia actio. Respondeo concedendo antecedens, & negando consequentiam, effectus enim iam habens existentiam eandem, iterum ab alio principio recipere potest, & eadem existentia, quæ erat ex vi prioris actionis licet secundum se non aliud nouum recipiat esse, incipit tamen idem habere ex vi alius actionis præcedentis. Ad illud de effectui formali respondendo, quod si nomine effectus formalis intelligatur illud, quod ex vi actionis extra causas ponitur, idem est formalis effectus vtriusque actionis, si verò nomine formalis effectus intelligatur complexum ex termino, & actione, diuersus formalis effectus est quem constituunt diuersæ actiones sicut diuersum compositum, quod diuersa forma constituit.

Obiic. secundò. Effectus dependet à causa, quia illa indiget, & si causâ non indigeret, dependere non posset adhuc de potentia Dei absoluta: sed nullus effectus potest duplici causâ indigere, adhuc de potentia absoluta, ergo nec dependere. Respondeo effectum indigere causâ nihil aliud esse, quàm non esse ens infinitum, & à se, eo enim ipso quod tale non sit, causa aliqua indiget à qua recipiat esse, & consequenter à qua dependeat. Hæc indigentia seu hoc non esse infinitum, & à se, fundamentum est, ex quo necessariò resultat effectum existentem ab vna causâ hac, vel illa necessariò dependere. Similiter est fundamentum, quo deficiente non posset à duplici causâ dependere, quia si entitas esset à se, vel si esset repugnans, quod est non esse entitatem, sed figmentum, neque ab vna neque multiplici causâ dependere posset, & ita necessariò requiritur, vt effectus indigeat dependere ab aliqua causâ, vt ab vna & multiplici dependere possit, quia posita naturâ effectus etiam si ex illa non necessariò inferatur duplex dependentia, inferitur posse illam supernaturaliter terminare, quia non omnis dependentia debet esse orta ex indigentia, quam habeat effectus respectu illius, sufficit enim indigere aliquâ dependentiâ, vt possit plures terminare. Ita concedendum est, quod si effectus nullâ dependentiâ indigeret non posset illam habere, quia tunc vel esset à se vel esset figmentum, de ratione enim entis possibilis creati est indigere dependentiâ. Ad illud, quod dicitur, ideo dependet ab vna causâ, quia indiget vna dependentiâ, concedo, dependet à pluribus quia indiget pluribus dependentiis, nego. Sufficit enim vnica dependentiâ indigere, vt possit plures terminare.

Obiic. tertio. Causa, quæ influit in consortio alterius non est tota causa effectus: ergo non est causa totalis: ergo implicat dari duplicem causam totalem respectu effectus, eo enim ipso, quod influat duplex causa, quælibet influit in consortio alterius. Respondeo distinguendo primum antecedens. Causa quæ influit in consortio alterius, non est tota causa, vltra quâ non sit alia, concedo antecedens: non est tota virtus, quæ præstat influxum aliquè ex vi cuius, quocumque alio seculo subsistat effectus, nego antecedens; deinde nego consequentiam, quia causa totalis non est, quæ influit sine consortio alterius, sed quæ ita influit, vt ex vi illius influxus, ablata quacumque alia causâ subsistat effectus.

S. Rubius,

15 Rubius, qui docuit lib. 2. tract. 7. de comparatione causarum, quaest. 1. posse eundem effectum simul produci à duplici causa totali, negat ibidem n. 69. effectum productum tempore antecedenti ab alia causa, & conseruat in hoc, posse denuo dependere ab alia causa, ait enim se non posse intelligere eundem effectum iam productum, & permanentem in esse recepto iterum produci, quia productio dicit nouitatem effectus: ergo si non est nouus effectus, non potest esse noua productio. Ratio debilis, quia actio terminata ad effectum, qui praecessit in tempore immediato non dat nouum esse rei, sed conseruat, quod immediate antea habuit, & ita sicuti, si vtrique causa ab instanti praecedenti dedisset nouum esse rei, vtrique in hoc instanti idem esse conseruaret, ita similiter postquam altera tantum dedit nouum esse rei in instanti praecedenti, potest vtrique idem esse conseruare in hoc instanti, per actiones distinctas, quarum vtrique dicitur conseruatio, quia licet altera modo incipiat esse illius terminus, non modo incipit, sed immediate antea fuit, & actio non dicitur prima productio ex eo quod primo incipiat, sed ex eo quod primo incipiat existere illius terminus. His soluitur Rubij ratio, & simul impugnat conclusio ratione adducta. Effectus enim, qui in hoc instanti potest terminare duplicem actionem, si primo inciperet esse, vel si cum primo incipit esse eandem terminasset, eodem modo poterit illas terminare etiam si in instanti praecedenti alterum tantum terminauerit, vnica enim terminatio, quae praecessit in instanti praecedenti neque ratione sui, neque ratione negationis alijs terminationis, quae simul cum illa praecessit opponitur cum duplici terminatione, seu duplici actione existenti in hoc instanti, alijs in illo possibili.

PUNCTVM VIII.

An duplici entitati possit conuenire mutua causalitas in eodem genere.

I Inquirimus an calor productus ab alio calore in genere causae efficientis possit in eodem genere eundem producere: exempli gratia an calor A productus à calore B, possit eundemmet calorem B producere. Similiter possit quaestio procedere de causa materiali, quae non sit primum subiectum, hoc enim nullam aliam habet materialem causam, sed de alio secundo subiecto. An videlicet calor receptus in quantitate ex eo praecise, quod in illa recipiatur impeditur maneret ad quantitatem recipiendam, si alijs ad illius receptionem haberet virtutem, in qua hypothese locum inuenit hac difficultas de causa materiali, & non in sensu absoluto, quia nulla datur materialis causa recipiens formam, in qua antecederet ad receptionem illius eadem posset recipi. De causis formalibus nulla est dubitandi ratio, quia cum huius causalitas nihil aliud sit, quam vnio inter formam, & materiam, implicat hoc extremum, quod alteri vnitur tanquam formae, eidem tanquam materiae vniri, quia ratio materiae, & formae non desumitur ex diuersitate vnionis, sed ex diuersitate intrinseca earum entitatu, quae vniantur: de causis finalibus non recusabo concedere posse duas entitates sibi mutuo esse finales causas in eodem genere per diuersas intentiones, quia ex vi huius intentionis possum ego intendere deambulationem propter sanitatem, & ex vi illius sanitatem propter deambulationem, quarum prima respicit sanitatem tanquam finem, & sanitatem tanquam medium. Ratio est, quia vt finis moueat non debet supponi exercitium, & quovisque ita supponatur potest illius assequutio efficaciter intendi, & postquam semel est ita intentus potest efficaciter amari propter alium finem tanquam medium vtile ad illud.

2 Deuoluitur tota difficultas ad principium effectiuium, de materiali enim in hypothese facta eodem modo philosophandum est. Nullam causam posse quoad primum sui esse produci ab effectu, quem ipsa producit certum est inter omnes cuius rationem dabo num. 3. causam remotam sentiebat doctus quidam Magister non esse causam per se sed per accidens, cui principio ita fidebat, vt non dubitauerit absolute concedere causam remotam posse dependere quoad primum esse ab effectu ab illa producto in eodem genere: ita vt si calor A calorem B produxerat, & hic calorem E: posset calor E, calorem A, producere, quia cum

ab hoc remotè tantum dependeat, quod non est dependere per se, sed per accidens, strictè loquendo non est illa natura posterior, & ita absolute potest esse prior. Hanc sententiam ita absolute prolata puto nullatenus sustinendam esse omnique probabilitate carere. Si enim sine vlla distinctione admittamus effectum posse producere causam remotam in eodem genere quo ab illa procedit, poterit hoc modo defendi omnes creaturas esse sibi mutuo causas in genere causae efficientis, & necessarium non erit aliquam primam causam increatam assignare à qua omnes dependeant.

Dicendum est effectum non posse producere suam causam mediatam, neque immediatam, à qua actu dependet: in eodem genere in quo ab illa dependet, de causa immediata conclusionem probabo. Effectus supponit suam causam existentem: ergo antequam intelligatur existens effectus, & potens influere, intelligitur existentia causae: ergo supponitur existens ex vi alicuius actionis: consequens primae illationis realiter ab antecedenti non differt. Secundam consequentiam probabo: nihil creatum potest supponi existens quin supponatur dependens: ergo debet supponi terminans aliquam dependentiam: ergo aliquam actionem, in qua consistit dependentia: ergo est posterior hac dependentia, seu hac actione: ergo non potest esse prior hac actione, neque actio ab illo per se dependere, cum supponatur absolute existens, antequam adueniat effectus, ita vt si hic deficeret, non deficeret saltem per locum intrinsecum talis actio. Confirmatur, nulla actio potest intelligi ante virtutem causatiuam, à qua dependet: sed actio ex vi cuius producitur hac causa intelligitur antequam existat effectus productus ab eadem causa: ergo non potest dependere ab hoc effectu tanquam à virtute causatiua: ergo effectus non potest influere in causam per illam primam actionem, per quam primo existit causa.

De causis remotis à quibus actu dependet effectus eodem modo traditam conclusionem probabo. Ad effectum supponitur actio productiua suae causae, vt nuper probauimus: ergo supponitur existens principium, à quo procedit talis causa: sed hoc principium est causa remota: ergo ad hunc effectum supponitur existentia causae remotae. Hac causa remota vel est creata, vel increata: si est increata erit à se, & in illa sicut series causarum huius effectus: si creata: ergo debet supponi existens ex vi alicuius actionis existentis: ergo supponitur alia actio ad effectum remotum: ergo non potest dependere ab illo, eodemque modo arguo donec deueniam ad causam increatam, quae supponitur existens à se, vltra quam non potest causarum series procedere.

Dixi effectum non posse producere causam mediatam, neque immediatam, à quibus actu procedit, quia si primo fuit ab illis productus, etiam ab alijs conseruetur, poterit eodem modo illas iterum producere vel conseruare, ac si ab illis numquam dependisset. Exempli gratia, Ignis A produxit calorem B, & hic calorem C, qui iam non conseruatur à calore B, neque à calore A, proxime vel remotè, calor C, poterit modo vtrumque calorem A, & B, producere, ac si numquam ab illis fuisset productus. Ratio est, quia effectus constituitur posterior principio effectiui per dependentiam, quam habet ab illo, & ita dum hanc dependentiam habet posterior est, quia ablata non remanet posterior: ergo si alias habeat virtutem per modum actus primi potest esse prior, & influere in illam entitatem à qua olim dependebat, & iam non dependet. Dixi posse influere effectum in principium à quo dependebat, & iam non dependet, ac si numquam ab illo dependisset, quod intelligo, siue per nouam illius principij iam corrupti reproductionem, siue eiusdem existentis conseruationem, neutra enim ex his repugnat ab hac entitate procedere ex dependentia tam praeterita, si aliunde non repugnet, quod si repugnet reproductio effectus, vel noua eiusdem existentis conseruatio, effectum, qui antea ab entitate reproductenda, vel conseruanda dependebat, non posse hanc reproductionem seu conseruationem exercere, non procedet ex dependentia praeterita, sed ex alio capite de quo non curo.

Contra hanc conclusionem sic explicatam nulla obiectio alicuius momenti excogitari potest, non enim requiritur idem esse prius, & posterius respectu eiusdem in eodem tempore, sed in diuersis, quia entitas tantum est prior dum